

gelus, præsertim superior, aut ejusdem ordinis, posset solem movere : ergo potest per suam essentiam cognoscere hæc inferiora corpora, sine specie superaddita.

IX. Confirmatur, quia natura intellectiva et potentia intellectus intelligibiliter continet omne ens, sicut potentia factiva continet id quod est factibile a tali potentia : ergo intellectus, qui comprehendit se, et naturam a qua dimanat, in tali comprehensione cognoscet omne intelligibile pertinens ad talem intellectum, licet intellectus, seu potentia non comprehendens se, indigeat specie superaddita ad alias res cognoscendas. Consequentia patet, quia non minus continet potentia cognoscitiva objectum suum, quam potentia factiva suum, sicut enim potentia activa habet proportionem cum effectu, ita potentia cognoscitiva cum objecto, sicut potentia visiva cum colore potius quam cum sono vel sapore : ergo qui comprehendit potentiam cognoscitivam, attinget in illa objectum ad quod dicit habitudinem vel proportionem, sicut qui cognoscit potentiam visivam, attingere debet colorem, et comprehendens talem potentiam attinget omnes colores : ergo Angelus comprehendens suum intellectum, attinget in illo omne intelligibile, et sufficienter continet in se omne ens, sicut potentia factiva continet in potentia suos effectus.

X. Confirmatur secundo, quia Angelus comprehendit per seipsum suam substantiam, et omnia accidentia sibi convenientia : ergo etiam suas species, quia sunt accidentia sibi inhærentia : ergo etiam comprehendit ipsas species : ergo representationem illarum, et consequenter res repræsentatas per illas, alias solum confuse, et valde imperfecte cognosceret species suas : er-

go habet in sua substantia sufficientem vim ad cognoscenda objecta repræsentabilia per species, et sic non indiget speciebus superadditis.

Respondetur Angelum sine speciebus superadditis non sufficere ad repræsentandum Deum, et alias res perfecte et distincte, sed solum imperfecte et confuse. Et licet Deus non repræsentetur per aliquam creaturam, vel per speciem creatam quidditative, et ut est in se, sed confuse, et imperfecte, et in hoc genere imperfectæ, et abstractivæ cognitionis essentia Angeli melius repræsentet Deum, quam alii effectus, quia similior est Deo, illique propinquior, tamen respectu aliarum rerum, de quibus Angelus potest habere perfectam, et comprehensivam notitiam non sufficit essentia ipsius Angeli, sed indiget speciebus superadditis distincte repræsentantibus. Etenim non potest res una repræsentare aliam perfecte, nisi vel ratione convenientiæ, et similitudinis cum illa, vel ratione causalitatis in illam, vel quia est effectus illius, et procedit ab illa. Nullo autem ex his modis potest essentia Angeli repræsentare sufficienter, et perfecte alias creaturas. Nam Angelus non procedit ab illis ut effectus, sicut procedit a Deo; et ideo licet hac ratione possit repræsentare Deum, sicut effectus ejus, non tamen potest sic repræsentare alias creaturas, quia ab eis non procedit. Similiter neque est causa aliorum, nam multæ res ab Angelo fieri non possunt, ut res spirituales, et ordines gratiæ, et cælum, et alia omnia, quæ per creationem solum fieri possunt; et sic non potest illa cognoscere in seipso tamquam in causa. Aliæ vero res, quæ per generationem, et motum fiunt, non possunt ex virtute Angeli, etiam ad eas concurrentis per motum suum per-

fecte cognosci, tum quia non causat totum quod in re illa invenitur, et ex qua componitur, quia non causat materiam; et sic ex vi suæ virtutis non habet perfectam illius cognitionem; tum quia non causat formam virtute sua immediata, sed applicando activa passivis, et præcise per motum localem, eo modo quo cælum movet. Unde non cognoscit ex vi suæ virtutis, et causalitatis formas istas, et effectus quantum sunt in se, sed quantum pendunt a motu locali, et ab activis, et passivis quæ applicant. Et ad instantiam de sole, respondetur quod comprehendens solem, videt in illo virtutem illam causativam talium formarum, et effectuum, quia hæc virtus in sole est, non in Angelo, licet requirat motum Angeli, ut causet illa virtus, quia non efficit mutationes horum inferiorum, nisi secundum diversos aspectus et positiones et conjunctiones astrorum, et hæc sine motu fieri non possunt. Comprehendens autem Angelum, non videt in illo virtutem causativam istorum effectuum, sed solum motivam, et applicativam illius virtutis a qua causantur. Et ideo ex vi illius, effectus ipsi non possunt perfecte videri, sed solum in quadam confusione, et ratione communi. Denique si attendatur sola convenientia, et similitudo Angeli cum aliis rebus, constat quod non potest perfecte illas comprehendere, quia in multis prædicatis non convenit cum illis, sed longe illis dissimilis est; et sic in vi convenientiæ entitativæ, et similitudinis non potest illas perfecte cognoscere. Nec in vi hujus posset etiam Deum cognoscere, nisi valde confuse, sed quia ex alia parte est effectus ejus valde perfectus, potest ex sui cognitione plus per essentiam suam de Deo cognoscere, quam ex aliis effectibus.

XI. Ad primam confirmationem respondetur negando consequentiam. Et ad probationem redditur disparitas inter potentiam cognoscitivam secundum se, sine speciebus, et potentiam factivam, seu operativam effectuum, quod potentia cognoscitiva sine speciebus non continet objecta sua neque dicit ordinem ad illa, nisi ut pura potentia in genere cognoscibili, non ut in actu, et determinate, ac distincte ea continens : actuatur enim, et determinatur potentia per objectum. Unde ex vi comprehensionis talis potentia solum cognoscuntur objecta ut contenta in illa sub quadam potentiali, et confusa ratione. Si vero sumatur potentia cognoscitiva, ut repleta, et actuata speciebus, sic cognoscit perfecte objecta per ipsas species : sicut etiam intellectus per ipsas ideas quas format, et per artem qua dirigit, cognoscit ideata, et arte facta, sed hæc supponunt species sine quibus neque intellectus format ideas, neque ars dirigit arte facta. At vero potentia activa etiam se sola, et sine alio addito dicit ordinem, et proportionem ad suos effectus per modum activitatis, et virtutis a qua fiunt, et consequenter per modum actualem, non potentialem. Unde mediante ipsa sunt cognoscibiles effectus perfecte, et distincte, et secundum continentiam actualem prout in causa continentur magis vel minus perfecte, secundum quod ipsa causa magis, vel minus influit in effectus ipsos, quos secundum activitatem, et actualitatem continet, non secundum potentialitatem, et imperfectiorem.

XII. Ad secundam confirmationem respondetur quod substantia, et intellectus Angeli possunt considerari in duplici statu. Uno modo secundum se præcise antequam intelligantur in illo species, quas con-

naturaliter exigit ille intellectus, sed solum secundum suam substantiam, et potentiam : et hoc modo non potest substantia, et intellectus servire ad cognoscendas omnes species sibi connaturales, et proportionatas perfecte, et complete, et quidditative, quia sub hac consideratione solum se habent in potentia passiva, et potentiali ad tales species, sicut et ad objecta earum, et ita non amplius potest intellectus ex vi suæ substantiæ sic considerata cognoscere, quam de ipsis objectis, scilicet quod est in potentia ad illa, et sub habitudine puræ potentiæ in esse intelligibili ad tales species, et ad talia objecta se habet; habitudo autem puræ potentiæ non potest distincte, et determinate, manifestare formas, ad quas est in potentia, sed solum potentialiter, et indeterminate, et in confuso, quod est solum in communi manifestare eas, et quoad an est. Alio modo possunt considerari substantia, et intellectus Angeli non solum secundum se præcise, et sine speciebus, sed cum illis, et prout habent illas a Deo, qui est status connaturalis talis intellectus. Et sic substantia intellectiva, et intellectus Angeli, ut completus, et actuatus speciebus est sibi ratio, et medium cognoscendi perfecte ipsas species, et earum representationes, et objecta, quia sic jam supponuntur species in intellectu, et ipsa substantia intellectiva supponitur perfecta, et completa in suo genere intellectivo, et in statu suo connaturali habendo species; et sic ipsa ut actuata speciebus, et non sine illis est ratio, et medium cognoscendi se, et species quæ in se sunt perfecte, et quidditative, non ipsa sola, et prout in potentia ad species.

ANGELI NON ACQUIRUNT ALIQUAS SPECIES AB OBJECTIS, SED A DEO HABENT ILLAS INFUSAS.

XIII. Loquimur universaliter de omnibus objectis tam materialibus et corporeis, quam spiritualibus et incorporeis, licet in objectis immaterialibus possit inveniri specialis difficultas, an ista objecta immaterialia possint speciem sui immittere, et causare in intellectu Angeli, quod in objectis materialibus stare non potest, quia si ab eis accipiuntur species spirituales, id debet esse beneficio alicujus intellectus agentis, sive ipsius Angeli, sive separati ab Angelo, potentis illas species deputare, et spiritualizare a materialibus conditionibus, quod in rebus spiritualibus non requiritur.

In hac ergo parte controversia est inter scholam D. Thomæ et Scoti. Nam Scotus vult Angelum posse accipere species a rebus materialibus, ut patet in II, disputatione III, qu. XI, imo ad notitiam intuitivam in præsentia objecti censet concurrere effective ipsum objectum simul cum intellectu, sine alia specie : ad cognitionem vero abstractivam dicit acquirere Angelum species ab objectis, quatenus ex notitia intuitiva habita ex ipsa re singulari præsentis relinquatur species ad notitiam abstractivam, hoc est ad notitiam rei non existentis, aut sine existentia considerata, ut docet ibidem quæst. X, §. Ad quæstionem. Non tamen negat Scotus, et auctores qui ipsum sequuntur absolute non esse infusas aliquas species Angelo ab initio suæ creationis, saltem ut crearetur perfectus, et ornatus sapientia, et intelligentia : id enim postulare videtur ille locus Ezechielis XXVIII, ubi loquens de primo Angelo antequam caderet, et consequenter ab ipso ins-

tanti creationis, dicit : *Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, et perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuisti. Tu Cherub extensus, et protegens, et posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ.* Quæ verba cum loquantur de Angelo in illo primo instanti antequam peccaret, et in quo adhuc erat perfectus manifeste supponunt ipsum habuisse in illo primo instanti omnia requisita ad illam plenitudinem sapientiæ, et ad cognitionem sine qua non posset mereri, nec esse perfectus in viis suis : cognitio autem, et sapientia, sine speciebus haberi non potest, nec in illo instanti potuit illas acquirere ab aliis rebus, cum hoc in unico instanti, aut brevissima illa mora intelligi non possit, ita quod applicaretur tunc omnibus objectis, ut ab illis hauriret species, et redderet plenus sapientia. Hoc ergo non negat Scotus, et ejus schola, quod aliquas species Angelus ab initio suæ creationis habuerit infusas, licet de Alexandro referat Vasquez hic disp. CCI, c. I, quod indistincte asserat, omnes species Angeli esse a rebus acceptas in secunda parte, qu. XXIV, membro II et III. Addunt tamen Scotistæ, et Scotus, Angelum acquirere a rebus species singularium, quæ decursu temporis fiunt, nec ipsis ab initio nota sunt : imo licet haberet istas species singularium ab initio, tamen ad notitiam intuitivam eorum quando redduntur præsentia aliquid a rebus dicunt accipere. Et similiter docent ex eodem principio, quod si Angelus non haberet ab initio illas species infusas, posset illas beneficio sui intellectus acquirere a rebus; et sic solum fuerunt per accidens infusæ. Consequenter isti auctores ponunt in Angelo intellectum agentem, qui sit virtus ta-

lium specierum acquisitiva ab objectis.

At vero p. Vasquez disp. CC, cap. III, inclinatur in illam partem sententiæ Scoti, quod Angelus sine specie possit in præsentia objecti cognitionem illius elicere, quia ad id putat sufficere efficaciam intellectus angelici per se, sine specie supradicta. Et licet dist. CCI, cum D. Thoma et communi sententia existimet Angelum non accipere species a rebus, tamen capite tertio inquit facilius intelligi posse quod Angelus non indiget speciebus, sed a sola sua virtute potest aliquid intelligere, eo ipso quod aliquid constituitur intra latitudinem objecti ejus.

XIV. Dicendum nihilominus est primo, Angelum de facto non acquirere species a rebus, neque a spiritualibus, neque a corporalibus, neque in ordine naturali, neque supernaturali. Hanc tenet manifeste D. Thomas in hac quæstione IV, art. II, ubi sine ulla distinctione id docet de omnibus speciebus; et idem docet in II, dist. III, qu. III, art. I, et de verit. q. VIII, art. VII, et II contra gentes. c. CXXII, et CXXVI, et communiter sequuntur omnes theologo.

Ratio hujus conclusionis constat ex eo, quod Angelus productus est a Deo perfectus in natura intellectuali, et juxta modum sibi debitum, et proportionatum, non minus quam primus homo, qui productus est a Deo in statu perfecto tam animæ, quam corporis. Angelus autem multo perfectius, quam homo creatus est : ergo non est productus ignorans, sed sapiens, et intelligens; imo plenus sapientia, et perfectus decore, sicut ejus intellectus exigit, qui perfectus est, ut ex loco supra citato Ezech. XXVIII dicebamus. Ergo si in illo primo instanti suæ creationis productus est ut in-

telligens, et cognoscens, non solum in potentia, et in habitu, sed in actu secundo, oportuit quod haberet species infusas, quia actus intelligendi in illo instanti creationis in Angelo sine speciebus infusis elici non poterat. Item in illo instanti Angelus creatus est in gratia, juxta illud Augustini XII de civit. c. IX: « Simul erat in eis condens naturam, et largiens gratiam: » ergo in illo primo instanti debuit habere aliquem actum supernaturalem dispositivum ad istam justificationem, si quidem non accepit gratiam, et justificationem, ut parvulus, sed ut adultus, et per proprium actum se disponendo: ergo debuit habere cognitionem supernaturalem a qua regulatur actus voluntatis disponens ad gratiam: ergo et species, sine quibus talis cognitio haberi non potest, quas in illo instanti a rebus acquirere non potuit, quia ut acquireret, deberet præsupponi existens, et productus in facto esse; et sic produceretur ignorans, et non habens gratiam per propriam dispositionem, si cum gratia creatus est. Quare vel debuit Angelus in primo instanti produci a Deo cum ignorantia, et justificari, non per propriam dispositionem, si species deberet acquirere, quia ista acquisitio non poterat fieri nisi ab Angelo jam in facto esse producto, et existente, vel si productus est a Deo non ignorans, sed intelligens, et se disponens ad justificationem pro illo primo instanti: ergo tunc non habuit species acquisitas, sed infusas. Denique, ad hoc ipsum facit id quod supra ponderavimus ex loco illo Ezechielis XXVIII, ubi ab ipso die conditionis, id est, ab instanti creationis dicitur Angelus perfectus esse in viis suis, et plenus sapientia, et perfectus decore, etc. quæ omnia verificari non possunt si produceretur a Deo sine speciebus, sed in-

tellectus ipse nudus, et in potentia ad species, et tamquam tabula rasa: sic enim non esset plenus sapientia, sed in potentia ad illam, et actu evacuatus ab illa, sicut homo quando nascitur.

XV. Ex his autem assurgimus ad discurrendum quod Angelus accepit species in illo primo instanti non solum repræsentativas rerum in universali, sed etiam in singulari, eo quod non potuit tunc habere perfectum solum intellectum speculativum, sed etiam practicum, quia habuit meritum, et meritum perfectum in dilectione Dei, et proximi, cognovitque tunc alios Angelos, multasque eorum operationes, cum naturaliter unus Angelus sit communicativus cum altero, vel illuminando, vel illuminationem recipiendo, vel etiam loquendo; et sic postulat cognitionem, et species eorum in singulari. Mystera etiam gratiæ, quæ per fidem novit, in singulari cognovit; ac denique non poterat dici perfectus in viis et plenus sapientia, si circa singularia esset ignorans, et solum in universali tunc cognosceret, quia scientia in communi minus apta est ad producendum in particulari, et ita minus sapienter, et perfecte disponunt intellectum, nec potest qui caret tali notitia vocari plenus sapientia.

XVI. Solum potest dici quod Angeli habuerunt tunc cognitionem, et species infusas eorum individuum quæ pro illa duratione exstant sive in creaturis spiritualibus, sive corporalibus, non tamen pro individuis succedentibus decursu temporis; et ideo pro illis debuit habere vim acquirendi species ab objectis, quæ est sententia Scoti, et in quo a nobis differt. Hæc responsio non potest evidenter convinci ex his quæ hucusque adduximus, quæ solum procedunt de cognitione

attributa Angelo pro illo primo instanti. Potest tamen non parum urgeri, et excludi congruentissimis rationibus ex his quæ allata sunt deductis, eo quod ista responsio enervat valde perfectionem angelici intellectus, et reducit illam quantum est ex natura sua ad eundem modum intelligendi quem habet homo, licet in isto genere vivacius, et perfectius intelligat, sicut differt homo magni ingenii ab aliquo valde rudi, cum tamen ex his quæ allata sunt constet, Angelum non per accidens, sed ex sua natura esse spiritum plenum sapientia, et perfecte intellectualem: id enim significant illa verba: *Tu signaculum similitudinis plenus sapientia*. Et S. Dionysius in septimo capite de divinis nominibus dicit: « Angelos non congregare divinam cognitionem a rebus divisibilibus, et sensibilibus. » Si autem talis naturæ esset Angelus quod singularium notitiam ab ipsis objectis acciperet per species ab eis derivatas, licet eas in universali haberet infusas, simpliciter ex natura sua non esset plenus sapientia, quia in multis posset ejus notitia deficere, si quidem plurium singularium notitia careret, cum non posset ab omnibus haurire species, sed solum ab illis, quibus se applicaret. Non posset autem Angelus multis singularibus, quæ simul accidunt in toto universo simul se applicare ut illorum notitiam acciperet, quia dum in uno loco acciperet species, in alio distante multa fierent, quarum notitia penitus careret, sicut si Angelus applicat se Hispaniæ ad accipiendum species eorum, quæ hic accidunt, non potest simul accipere species eorum quæ accidunt in eodem instanti in alia parte terræ, vel infra terram, vel in cælo. Et ita hoc ipso, quod Angelus non habet scientiam singularium, nisi acquirendo species

ab objectis, et has non potest accipere, nisi applicando se ipsis objectis, naturaliter talis intellectus subiectus est multorum singularium ignorantia, quia non potest simul applicari omnibus objectis, quæ sunt vel de novo fiunt in mundo, et sic oportet quod plurium species ab eo omittantur: imo etiam ex natura sua non esset debitum illi habere species rerum in universali, sed si quas habuit ab initio suæ creationis, non fuerunt per se, sed per accidens infusæ, si quidem potest eas acquirere a rebus: ergo non est ei debitum quod per infusionem accipiat, quia si est acquisitivus earum in singulari, etiam ex illis potest in universali accipere sicut nos: non ergo potest naturaliter esse acquisitivus specierum, et naturaliter petere infusionem earum; nisi forte peteret infusionem specierum in universali, et in confuso, et postea per acquisitionem singularium perficeretur, quod imperfectionis magnæ est, ut sequenti conclusione ponderabitur. Unde quantum est ex natura sua, si illa infusio per accidens facta non daretur, a principio per se, et ex natura sua Angelus careret omni specie tam in universali, quam in singulari, quousque aliquas acquireret, et sic dum non acquireret, esset ignorans; non ergo per se, et ex natura sua esset plenus sapientia.

XVII. Dico secundo: Non potest Angelus propter perfectionem suæ naturæ acquirere aliquas species a rebus, sed ex sua natura petit illas habere infusas a Deo; et sic caret principio acquisitivo specierum, qui est intellectus agens respectu rerum materialium.

Hæc conclusio probatur ex duplici principio. Primum ex parte ipsius Angeli. Secundum ex parte ipsorum objectorum materialium

(de his enim tantum loquimur in præsentī conclusione.) Primum principium explicatur sic. Quia si natura Angeli posset acquirere species ab objectis, vel ex natura sua id peteret, vel hoc illi accideret ex aliquo defectu talis naturæ seu imperfectione, quia dependere ab objectis in acquisitione specierum, et non habere illas connaturaliter a principio, majoris imperfectionis est, quia est carere formis intelligibilibus, quæ sunt species. Hoc secundum non est ad propositum, quia si solum ex defectu naturæ id habet, non ergo ex natura sua id petit, sed potius oppositum, quia non pertinet id ad perfectionem naturæ intellectualis, sed ad defectum ejus: natura autem non inclinatur ad id quod defectuosum est sibi, nisi dicatur hoc non esse ex defectu naturæ, sed ex generali imperfectione, et limitatione ejus, quia non petit de se habere illam perfectionem, sed per se debet eam acquirere. Quod si ita est: ergo ex natura sua Angelus non est perfectus in intellectualitate, sed imperfectus, et ignorans; et sic ex natura sua intellectus Angeli non magis esset in actu, nec magis plenus sapientia, quam noster intellectus, quia debere, eam acquirere ex objectis; quamdiu enim intellectus aliquis caret specie, seu speciebus objectorum, respectu illorum ignorans est. Quod si Angelus haberet infusas species a principio, id esset per accidens, quia Deus vellet hoc illi largiri supra debitum suæ naturæ, si quidem ex natura sua esset acquisitivus illarum: non ergo ex natura sua peteret ibi infundi: inconveniens autem est dicere quod Angelus qui est naturæ intellectualis perfectæ, ex ipsa natura sua habeat ignorantiam, et carentiam specierum, cum in linea intellectuali Angelus se habeat sicut corpora incor-

ruptibilia in corporalibus, quæ petunt suam perfectionem habere statim a principio, non paulatim et successive eam acquirere: id enim proprium est corporum generabilium, et motui subjectorum: sic Angeli in genere immateriali, et spirituali cum sint naturæ perfectæ, ex propria ipsa sua natura exigunt non acquirere perfectionem intelligibilem, quæ ei tribuitur per species, quia hoc supponit naturam ipsam, et intellectum ex se, et quando producitur carere illa perfectione, si quidem acquirere non potest, nisi desit sibi id quod acquirit, alias jam haberet, si non careret illa. Intellectus autem carens speciebus intelligibilibus, est in genere intelligibili, sicut materia prima sine forma: caret enim scientia in actu primo, si quidem intellectus per ipsam potentiam solam ante species non dicitur sciens in actu primo, sed solum in potentia remota, ut patet in puero cum nascitur, qui non dicitur sciens in actu primo sed ignorans, quia ejus intellectus est tamquam tabula rasa sine speciebus, et tamen habet intellectum possibilem capacem illarum, et intellectum agentem acquisitivum illarum. Si ergo Angelus ex natura sua est acquisitivus specierum, non autem ex natura sua petat sibi statim a principio infundi, ita quod cum illis nascatur, et creetur, ex natura sua petit nasci ignorans, sicut homo, et consequenter non plenus sapientia, neque ut perfecta natura in esse intellectuali, perfecta, inquam, in actu primo, et in ratione scientiæ: nam in actu secundo non est necesse quod ab initio consideret in actu secundo omnia, quia in creaturis non est imperfectio actu non considerare aliqua, sed est imperfectio carere scientia, seu facultate considerandi: hoc enim est

ignorare. Quod si Angelus ex se non est natura intellectiva perfecta, quænam erit perfecta in esse, et genere intellectivo? An forte non est possibilis intellectiva natura perfecta? Hoc sane summum inconveniens est, et magna infelicitas felicissimæ naturæ, quod in omni sua latitudine, et genere petat ex natura sua nasci cum ignorantia, et nullus intellectus sit ex debito suæ naturæ plenus sapientia, sed si habet illam ab initio, est per accidens.

XVIII. Unde etiam fit argumentum, et confirmatio pro hac parte non levis: nam id quod ex natura sua alicui est debitum, et connaturale, nunquam tollitur a tota illa natura, et omnibus speciebus, et individuis ejus, licet in aliquo, vel aliquibus præter naturam quandoque fiat, et suppleatur: sicut si homo naturaliter est acquisitivus scientiæ in anima, et augmenti in corpore, sic accidit communiter in hominibus, licet unus, aut alter accipiat scientiam infusam a Deo, per accidens. At videmus quod omnes Angeli creati sunt intelligentes, et scientes, quia in primo instanti meruerunt, et de ipso primo Angelo dictum est quod fuit plenus sapientia, et perfectus in viis suis a die conditionis suæ, et autem eadem ratio de aliis omnibus Angelis: ergo vel omnibus erat connaturale, et debitum sic nasci, et sibi infundi species ab initio, vel non, sed ex natura sua erant acquisitivi specierum. Si hoc secundum: ergo non omnibus Angelis debebant infundi species, nec ab initio sic creari, quia si connaturale, et debitum est eas acquirere, non debuit hæc connaturalitas in omnibus tolli, et suppleri, licet in uno, vel altero per accidens infunderentur species. Si primum: ergo habemus inventum, quia ex natura sua non sunt acqui-

sitivi specierum, si quidem ex natura sua petunt nasci cum illis, et sibi infundi ab initio. Nec potest stare quod eademmet natura connaturaliter petat nasci plena speciebus, et connaturaliter petat acquirere illas; et sic non nasci cum illis, sicut non potest homo connaturaliter petere potentiam augmentativam, qua successive crescat, et connaturaliter petere nasci in perfecto statu, et omni augmento acquisito, et habito ab initio. Nec dici potest quod Angelus petit connaturaliter habere aliquas species infusas ab initio, scilicet in universali, et de rebus incorruptibilibus, non de singularibus quæ successu temporis decurrunt. Nam contra est, quia si istæ species infusæ Angelo quas connaturaliter petit, taliter sunt repræsentantes in universali, quod non possunt deservire pro cognoscendis singularibus, quando singularia producuntur, sed indigent nova specie ipsius singularis, sequitur quod Angelus ex natura sua petat species valde imperfectas, et confusas, quia repræsentatio solum in universali, et non potens descendere ad singularia, etiam si dentur, et producantur talia singularia, est repræsentatio imperfecta et minus efficax, quia cum intellectus sit ex se non solum speculativus in universali, et in abstractione, sed etiam directivus rerum in singulari, et cognoscitivus rerum experimentaliter, et in individuo, fit quod intellectus solum petens ex sua natura species repræsentativas rerum in communi, petat species imperfectas et inefficaces pro scientia tam speculativa quam practica; et sic non erit ex natura sua Angelus plenus sapientia; quia caret de se, et connaturaliter aliqua sapientiæ parte, scilicet circa singularia. Unde ulterius fit consequens quod talis intellectus ex natura sua manet exposi-